

ΠΡΟΠΕΜΠΤΙΚὸΝ 91

INGENIO, ERVDI-
TIONE ET MORVM HONE-

STATE DECORATO IUVENI DOMI-
no Iohanni Bonifacio Debrecino, è Gymnasio
Vuaradiensi Vitebergam proficiscenti,
amico suo amicissimo

MICHAEL VARSANIVS

SCRIBEBAT,

Anno Domini M. D. LXVIII.

XIII. Calend. Octobris.



Vitebergæ,

Excudebat Iohannes
Crato.

ANNO M. D. LXIX.

Tiszántúli Református Egyházkerület
Nagykönyvtára, Debrecen

RMK 402

PROPEMPTICON.

Tam citò Pannonicam cur Iane relinquis amande
Vrbem prælustri Varadinum nomine dictam,
Dotibus innumeris famosam, fortibus ausis,
Artibus in genuis & opum splendore nitentem,
Musis florentem, culta Iuuenumq; corona,
Clarorumq; senum, quorum facundia dulcis
Candida Nestoreos ornauit corda per annos?
Mœnia prociduo cui semper flumine lambit
Chrysiis auricolar, mortalibus ocia grata
Præbet, & hic animos spaciantum mulcet abundè
Hic etenim virideis densis frondescere syluis
Aspicias monteis, & opertos vitibus ulmis,
In quibus Ogygius miscet noua musta Lyæus,
Mitia Pomonæ pendent & poma quotannis,
Crescunt fœcundè cuius sua munera Diuûm,
Hic tepidi fontes purgant quoq; tabida membra.
Quos diuina manus, diuina potentia finxit.

Tam citò cur quæso natalia deseris arua?
Quæ gremio seruant multos tibi fœdere iunctos.
Omnes ingenuo qui te amplectuntur amore,
Inter quos etiam numero non vltimus ipse
Sum fateor, semper constanti & mente manebo,
Me modò tu tenuem ne dedigneris amicum.
Hic tuus à nobis digressus pectus acerba

A y Mæsticia

Mœsticia impleuit, dolor & præcordia vexat
Tabificus, quoniam non te simulanter amamus,
Sincero immò tui flagramus semper amore.
Thesea Pyrihous, Pyladem sic fidus Orestes,
Sic doluit Iason desertus Amyntore nato,
Sarcina laturæ fuerat qui grata phaselo.
Æolides etiam doluit sic semper Vlysses
A Diomede fuit quoties diuulsus amico.
Haud secus Æneas lacrymis affatur obortis
(Effugiens Ithacæ scopulos, Laertia regna,
Et Siculas vrbeis Erycinaq. littora, campos
Chaonios linquens, Butbroti & mœnia celsa,
Continuans cursus, Austris & lintea pandens
Ausonio cum iam arderet considerare portu,
Ac tuta socys vrbeis componere arena)
Priamiden Helenum, qui tunc regnabat in oris
Smyrnæis, Phrygium claro de stemmate cretus,
Hunc ita non inquam carum defleuit amicum
Troius Æneas Patriæ spes vnica gentis,
Nec magis Ascanium doluit Priamèia virgo,
Huic dat dum veri preciosum pignus amoris,
Brachiaq. imponens collo dimittit Iulum.
Non plus Psalmographus Ionatham dilexit amicum,
Ipse meo quam te flagranti diligo corde,
O animæ Iuuenis dilectæ pars bona nostræ.
Siccine amiciciæ Vegetantis vincula nostræ

Dis suis

Dissuis hoc propero discessu dulcis amice?
 Siste gradum potius plureis victurus in horas
 Mecum, dum plenis saltem vindemiâ labris
 Spumabit, tribuens dubitanti digna colono
 Munera, vel Thasiæ vites in montibus altis
 Turgescent, syluæq; pyris, grauibusq; volemis,
 Dum Methymnæo carpentur palmite fructus,
 Massica vel cellis condentur vina falernis.
 Dum pater & Liber veniet, nudatâq; musto
 Prædulci tinget direptis crura cothurnis.
 Rustica vel pietas pro partis pinguia gazis
 Thura dabit Baccho, Bromium donatq; Lyæum.

Differ amice tuos paucas age differ in horas
 Hinc abitus, dulcis Patrios & linquere fineis,
 Dummodo fulua Cleonæi per terga Leonis
 Incipiat Phæbus volucreis agitare quadrigas,
 Acer enim nimio nunc agros Sirius æstu,
 Vrit, & agricolas prohibet submittere falcem
 Maturæ messi, rapidiq; potentia Solis
 Denigrat his faciem, flagrans capitiq; dolores
 Ipsâciet, flauæ Cereris consumit alumnos,
 Nec prodire alias permittens æthere stellas
 In caput Æthiopum sua mittit spicula feruens.
 Omnia nunc ardent, siccatur, terra calore,
 Oceanus tepidos vix voluit gurgite fluctus,
 Non latebris optat de cæcis torua læna

A ij Nunc

Nunc prodire, Lupus prædas tentare cruentas
Nec cupit vmbrosis longè discedere tectis
Frendens Marsus aper, non formidabilis Aspis.
Omne animal ratione carens, ra tione vigenſq;
Lauricomis captat modò ſyluis fugus opacum.
Longius ô vtinam liceat mihi viuere tecum
Sæpius & ſuaueis animo conferre loquelas,
Ipsa ego non cuperem Cræſi vel diuitis aurum,
Attaliciſ & opes, vel quas deuoluit arenas
Aurifer amne Tagus, diues Pactolus & Hermus,
Te mihi ſi detur ſemper ſpectare ſodalem
Nam nihil in vaſto mihi ſuauius orbe videtur
Quam verus, conſtans, pius, & ſyncerus amicus.
Qualem cognoui te longo tempore & vſu.
Aſt quoniam (vt video) penitus ſententia fixa
Iſta tuæ menti ſedit, diſcedere cauſæ
Nec faciles cogunt, Muſarum vt tecta piarum
Fulgida Leucoridum ſubeas ductrice Minerua,
Conuenit hanc ſortem placidè & me fere decentrer
Hoc etiam inſignis, præſtans pietateq; PETRVS
Caroliuſ ſuadet, noſtri bona regula moriſ,
Seduliuſ ingenij cultor, veſtigia cuiuſ
Biſ dum Sol rapidos reflectit in æthere curſuſ,
Commoditate animi fratres comitauimus ambo
Quorum Zenò reformarit vel doctiuſ vnquam
Caſtaliuſ cætuſ, meliuſ vel rexerit ipſe

Haud

Haud scio Pythagoras, an hunc superarit in arte
 Pittacus, an melius Chrysippus dixerit isto.
 Nunc quoq; cœlesti pascit de rore popellum,
 Christiadam turmas, & sacris instruit armis
 Aduersus Sathanam, Stygy regemq; barathri,
 Vnde sibi meruit laudem sine fine manentem,
 Æternumq; decus Phœbi rutilamq; coronam,
 Cuius dum gelidæ mea fient ossa fauillæ
 Pectore me grato semper meminisse iuuabit.
 Conaborq; illi meritas persoluere grates.

Quæso Thespiadum Iuuenis pia cura sororum,
 Ne me sollicitis vrgentem despice dictis,
 Quin iter inceptum mente immutato parumper,
 Qui non es ventri, nec somno deditus ipse,
 At Samios optas avidus contingere ramos.
 Illuc acceleras, quo dextro littera cornu
 Vergit, & angusto præmonstrat calle decorum.
 Tu studio & digna cupis inclarescere laude,
 Nam postquam instituit præceptis patria sanctis,
 Induit & sinceræ vbi religionis amore,
 Summa petis cupidus discendi mœnia Bartphæ,
 Quæ te Pierijs studijs, dum signa peragrat
 Sol semel, æthereas sedesq; reuisit olympi,
 Addictum vidit, post Claudia clara recepit,
 Atq; sinu fouit placido, linguisq; bonisq;
 Artibus excoluit : quas est didicisse beatum,

In

In terris quoniam semper sapientia viuet,
Præter virtutem nec erit durable quicquam.
Ergo tuum cum sic exornent qualibet artes
Ingenium, studio & doctrina, moribus atq̃,
Gloria te splendens, viuax & fama sequetur.
Nunc quoq̃ Musarum feruenti incensus amore,
Vt meliora nouæ decerpas dona Mineruæ
Leucoreas subito cursu contendere ad oras
Optas, Leucadij senis ardua tectâ videre

Cui tibi se comitem per mille pericula rerum
Addidit (haud aliter, Phrygio quam fidus Achates
Æneæ, capiunt dum pergama celsa Pelasgi,
Vno quo tandem sulcando littora remis
Trinacrios scopulos tranat quoq̃ classe fugaci,
Scylla vbi latranteis informis pandit hiatus,
Infremit atq̃ rapax nec non metuenda Charybdis,
Annis septenis errauit per vada salsa)
Qui non dissimili quàm tu, vult nomine dici
Ianus amænarum non vltima fama Dearum.

Florens ô Iuuenis pulcrum ne desere cœptum,
Olim te meritò sic Pannonis ora reuersum
Euehet in laudis sublimia sidera pennis.

O fortunati valido qui fœdere iuncti
Ambo animi fratres, qui nunc persaxa, per igneis
Magnum iter ingressi vultis considerare portu
Albiaco, vobis quò rerum fama bonarum,

Palladis

Palladis hinc latiae & Graiae doctrina diserta
 Succedat, Clary surgant & Apollinis artes.
 Haud secus ac Samiae ceber telluris alumnus
 Assyrios, Cretam, Lacedaemona doctus adiuit,
 Multiuagus Tyanæus adit, vel Memphidos oras,
 Ut Plato Cecropius, doctor Pandionis vrbis.
 Est virtus cunctas animi pro munere clades
 Tentare & durum pro Musis ferre laborem,
 Quod facit vt celebres florescant carmine mentes,
 Et vigeat vatis spaciosa in secula nomen.

Nunc age thuricremis aris imposito dona,
 Aurum, thus, myrrham, Dictæo grata parenti,
 Dulcia Dardanius cui fundat vina Minister,
 Chrysocomus capiat sua letus munera Phæbus,
 Bacciferæ detur quoq; sacri pars sua Diuæ.
 Accipiat Pergæa pio nunc pectore munus.
 Ventorumq; pater libet modo fortia vina.
 Nunc age placetur cyathis Neptunia Doris.

Eia agite ô fratres cursus, & amica vocate
 Numina, quæ vestram felici remige puppim
 Per mare veliuolum seruent aurisq; secundis
 Leucoridos faciant portus intrare salubris.
 Incolumes Charites, simul & spectare caterua
 Hunniacæ pubis vestitam dotibus amplis.
 Hic vbi flauenteis nitidus conuellit arenas
 Albis & Aonio potant de rore Camæna.

Eia

Eia age, iam nostræ flectunt pia numina voces,
Audimur, votisq; aspirat docta caterua
Dedaleæ Musæ, iuuenum florensq; corona.

Nunc superest genio paulum indulgere sodales,
Horas atq; duas letis accumbere mensis,
Amplius haud fortasse datur conuiuere nobis,
Quare agite & dapibus nunc nos epulemur opimis,
Carpitq; queso cibos digitis, & pocula Bacchi
Exhaurite. Puer tu dulci mando salerno
Cratera infundasq; mero stet plena diota,
Atq; caue dapibus modò quicquam desit in istis.

Vade iubeto puer vectorem iungere rheda
Quadrupedes celeres, currusq; aptare volanteis.

Nam mora nulla meos alia hic tardabit amicos,
Potabunt ambo quàm saltem hi pocula bina.
Dicito, curre puer, quadrigas huc agat inde,
Cursibus hic rapidis vt equi vestigia ducent,
Collectusq; rotis delectet puluis opacus.

Belgica iam fratres cursu illic effeda ferri
En video, celeres & equos, qui vix pede terram
Concutiunt, solidoq; quibus sonat vngula cornu,
Telluri insultando, gradus glomerantq; superbos,
Fortibus hi vacuas complent hinnitibus auras,
Frena suis mandunt acres spumantia labris,
Egrediar, currus & equos mox ipse videbo,
Vos tamen interea cyathos siccate sodales.

Desine

De sine equos rigido tu sic stimulare flagello
 O Auriga, citas docilis retineto quadrigas,
 Heu ita quid properas audax auriga, quid vrges?
 Non leuiter Ianus socijs diuellitur istis,
 Nonne animi curas synceri robur in epte?
 Quid roseas uè genas fratrum madidos & ocellos
 Aspuit? heu lacrymis & fratrum liuida facta
 Lumina non curas, flenteis auriga sodaleis
 Quaeso siste gradum, celeres inbibeto quadrigas,
 Carus plus vt ad huc nobiscum uiuat amicus,
 Acria uina bibat, digitis & fercula carpat,
 Quin age tu nostris etiam succedito tectis,
 Massicus humor adest Bacchi tu sumito potum,
 Pocula plena bibens, animum perfundito grata
 Latitia, & gaudens socios delectabis in agros.

Nil ego proficio, quin vrgerent iam quoq; diuim
 Numina: nostro animo quare dilecte Ioannes,
 Castalidum decus ingens, & tu fama perennis
 Pegasidum, caram dextrae coniungito dextram.
 Has ego per dextras oro, nitidosq; lacertos,
 Per sacra iura, bonas iuuenis laudate per arteis,
 Igniculum vt nostri conserues tempus in omne
 Pectoris, atq; tui fidi praecepta sodalis,
 Suscipe nec facile firma sed mente teneto.
 Quo res cunq; cadent, vel qua nos terra uocabit,
 Constanti flagito serues in pectore amicum

Varia

*Varsanium, vero qui te dilexit amore,
Diliget & deinceps meliori fœdere semper,
Tu modò ne tenuis faciem contemne sodalis.*

*Carpite iter longum, constanti carpite gressu,
Vos sacer æthereo Christi delapsus olympo
Angelus, armigero & felici numine semper
Protegat atq; comes fidus deducat in oras
Quas petitis, præsens & noxia quæq; repellat.
Christus alat dux vos optata sede repostos,
Hic ubi clarorum superant monimenta virorum,
Biblica volentes vigili vos scripta labore,
Discite nectareum nostræ fontemq; salutis,
Musarum immensas sacris cumuletis in antris
Diuitias, mentem formantes rite per arteis:
Aonio frontem pigeat ne spargere fonte,
Sæpius & Phœbi cytharam pulsare canoram,
Splendida sumentes Tyrrhenæ dona Mineruæ,
Vestraq; Mopsopia decorantes corda loquela
Palladis immensas redeundo ducite gazas
In patriam salui & doctis remeate Camœnis.*

TÉΛΘ.

Tiszántúli Református Egyházkerület
Nagykönyvtára, Debrecen